



Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

De libertate animæ perfectæ. Cap. xxij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](#)

Greg. 12.
morm. 4.

Psal. 36.
Bern. fer.
de pass. c.
24.

vita, & pulchritudine gloriae commutabit. Vnde Gregorius ait: Potest iam radix iusti, ipsa natura humanitatis intelligi, ex qua subsistit. Quae videlicet radix senescit in terra, cum natura carnis deficit in puluerem redacta. Cuius in puluere truncus emortitur, quia extinctum corpus a sua specie dissipatur. Sed ad odorem atque germinat, quia per aduentum sancti Spiritus resurgit. Et faciet comam, quasi cum primum plantatum est, quia ad illam speciem reddit, ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare noluisse.] Quomodo ergo non erit securus, qui Deo disponeente, & volente, deponit corporis vestem, ut eam post modicum tempus innontat, mundam, & numquam rumpendam accipiat? qui relinquit exilium, vt proficiatur in patriam; qui est carcere soluitur, ut in aula regia commoretur; qui nouit, quoniam cum ceciderit in mortem, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam?] Illud demum non praeteribo, quo anima perfectae securitas scipiam periculis & anxietate liberat. Nimirum quod si, inquit Bernardus, ille in hac vita securus est, qui nusquam se securum existimat, ipsa ita secura, & tuta est, ut numquam se omnino securam iudicet. Sed iugiter scipiam, & omnia interiora, & exteriora sua discreta cura, & tranquilla diligentia circumspicit, ne quā aut mundus eam fallat, aut adversarius subvertat, aut caro decipiat. Quae circumspectio, quia prudens est, dum gratiam subsequitur, & diuino auxilio nititur, miro modo defendit, & quia moderata est, animam nequaquam inquietat. Hanc in mediis periculis securitatem, si volumus ad perfectionem curramus, & ignauiam ac fowardiam deseramus, quia illa, dum Deo nos iungit, à telis hostium abscondit: hæc verò dum à Deo nos aliquantulum separat, periculus inimicorum exponit.

De libertate animæ perfectæ.

C A P V T X X I I .

2. Cor. II.

Cives, qui pacati sunt, & securi, communiter solent esse liberi, id est, qui precibus aut minis nulli se subdant, nec bonum facere, nec verum dicere metuunt. Omnis enim seruitus ex bellis exoritur, quibus bello capti, si morte liberantur, viatorum imperio & obsequiis subiiciuntur. Hi autem semel bello in potestatem dominorum aderunt, dum alii accepto pretio venduntur, aliud genus seruitus arctius, & eo ipso miserius inducent. Unde qui pace gaudent, & ab hostiis incursibus tuti sunt, non est cur in tristem seruitutis sortem venire formident. At ipsi sponte sese aliorum mancipia non facient, cum hoc à natura omnibus inditum sit, ut felicitatem, atque adeò libertatem diligent, & inseparabilem, ac eius comitem seruitutem, aufugiant. Et ideo Paulus Corinthios inscrita reprehendit, eo quod à libertate Euangelij ad legis seruitute se transferri patiebantur. Sufkinetis, inquit, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.] Ac si diceret, in hoc ostendit vos insipientes & stultos, quod innatum cunctis desiderium vera libertatis deseritis, & ceremoniarum legalium seruituti, quæ vos quasi seruos operat, & quali mancipia constringit, libentes collum subiicitis. Si verò pacem, & securitatem habentes liberi sunt, vtique tum in fætis, tum in dictis hanc suam libertatem exercent. Sicut enim seruorum est, heri arbitrio regi, & quod animo concipiunt & cupiunt, timore poenæ silere, ita liberorum est, quod libet, facere, & quod sentiunt, absque ullo metu

A quibuscumque denunciare. Quare Iosas rex Israel ab Amasia rege Iuda ad certamen prouocatus, tamquā liber, & securus, in hunc modum se prouocanti respondit: Dixisti, percessi Edom, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam: sede indomo tua, cur malum aduersum te prouocas, vt cadas, & tu, & Iudas tecum?] Quibus verbis tam liberè prolatis monstrauit regnum suum ab insidiis Amasia esse securum, quem adhuc superbè perseuerantem euicit Iosas, & thesauris eius diripuit.

2. Ps. 8.3.

Anima ergo perfecta, quæ pacem & securitatem possidet, magna quoque libertate perficitur, & indices huius libertatis, opus intrepidum, & sermonem audacem ostendit. Magnam quidem libertatem habet, quoniam, ut Apostolus ait: Vbi spiritus Domini, ibi libertas.] Hic autem Domini spiritus in omnibus iustis habitat, sed in viris perfectis intimis (vt ita dicam) commoratur, & abundantius eis dona sua, & veram libertatem (quæ ipsius quoque est donum) elargitur. Perfecti perfectè peccati iugum excusèrent, quia charitatis furore nullum sibi peccatum dominari permittunt. Et, si aliquid leue vulnus defecuum venialium accipiunt, statim compunctionis medicamento illi medentur, & animosiùs hostem, à quo percussi sunt, repercutiunt. Omnis qui facit peccatum, ait aeterna veritas, seruus est peccati;] qui ergo peccatum non faciunt, & ab eo secundum gratiam sibi datam, quantum sibi possibile est, fugiunt, liberi sunt à peccato. Quam appellationem sancte honorificam illis Paulus attribuit, dum ait: Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.] Liberos esse à peccato desiderabile est, seruos autem esse Christi, pretiosum est, quia nec illa libertas ab hac seruitute secernit, nec ista seruitus ab illa libertate separatur. Vnde idem Paulus ait: Qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi.] Vtraque conditio optima, inquit Ambrosius, esse sub Christo, sub quo, & pretiosa seruitus, & gloria libertas. Pretiosa seruitus quasi tanti sanguinis precio comparata, Gloriosa autem libertas, quam nulla seruitus culpa, nulla peccatorum vincula constringunt: nulla flagitorum onera, nulla criminum commercia denegeris nexui seruituris addicunt.] Ecce primam viorum perfectorum libertatem, qua vincula peccatorum disrumpunt, & se Christi seruos profertur, cui seruite, libertatem non admittit, sed veram libertatem impetrat.

2. Cor. 3.

Hac autem libertas à peccato, modica perfectis videtur, si non etiam, & ab incitamentis peccati, à mundo scilicet, diabolo, & carne liberi existant. Hac perfecta libertas simul cum prima gaudient. Mundi quippe opiniones, & deliria despiciunt, nec quid ipse approbat, quid improbat, quid mentiendo bonum iudicet, aut malum existimet, vlla ratione curant, diaboli latratus, & suasiones subflannant, nec si se transfigurant in Angelum lucis, manifesti hostis adhortationibus acquiscent. Carnis blanditias illecebratas despiciunt, cui satis consultum purant, si ei necessaria non denegent, & nullo modo ad luxum pertinentia concedant. Hoc autem iugum, ex quo primum peccati dimanat, abiectissime & excusissime, magnam perfectis latitiae occasionem affert. Quam Iisaias oculis mentis obiciens ait: Latabantur coram te, sicut qui latabantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virginis humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.] Non perfectis ipsis, sed Deo hanc perfectorum libertatem

Ioann. 6.

Rom. 6.

2. Cor. 7.

Ambros.
ibid.

Ifa. 9.

ascribit

In ad. 7.

ascribit, & meritò; ipse enim est, qui iugum seculi importabile à cencibüs sanctorum fūstulit. Ipse est, qui virginem diaboli, id est, potestatem in peccatores acceperam, ne iustos ea feriret, comminuit, arque cōfregit. Ipse denique sceptrum carnis, quo cordibus antea carnibus dominabatur, & ab eis vestigia voluptatum veritarum exigebat, miserabiliter superauit. Sicut in die Madian. Quid est sicut in die Madian? nisi quod sicut milites Gedeonis frangentes hydrias testeas, & lampades ostentantes, & buccinis perforantes Madianitas fugarunt, ita milites Christi scilicet iusti, carnem suam castigantes, & diaboli laqueos fidei luce detegentes, & aduersus mundi doctrinam spiritus legem buccinantes, hostes suos proterunt, & in fugam verrunt? De hac autem victoria à Domino sibi concessa, non aliter latentur, quam menses, cum congregat triticum in horreum suum, aut quam milites, cum capta præda distribuant inter se inimicorum exuas. Ita inquam, latentur de hac mirabili libertate, quoniam haec latitia non sterilis est, sed quæ spolia istorum hostium victoribus, qui sunt perfecti, concedat, & frumenta meritorum in hunc ipsorum recordant. Sed quidni latentur, qui iugum hoc grauissimum, quod aggrauatum erat super eos, putrefactum à facie olei charitatis aspiciunt, & virginem, quæ vulnerabat eos, fractam & comminutam intelligunt? Quod iugum, & quam virginem Sanctus Basilius hoc grauissimo sermone describit, planè intolerandum, & peracere iugum ille exactor iniecit humanæ vitæ, communis scilicet noster inimicus, virga cedens, & extorquens a nobis, ut suam vniuersitatem expleremus. Noscene vis, quas nobis plaga virga illa inuenierit? Audi dicentes: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. Planè malitiosa haec virga cicatrices perniciose ac terti doloris ingerit ei, qui vel est casus. Mihī nunc ad mentem reuoca vnum aliquem, qui magnis tenetorū desideriis, & peracri cupiditate extimelut perfruendi concupiscentiis voluptatibus, quam hic assimilis videtur debet ei, qui illa hostili virga pertunditur, & abducitur ad peccatum? An non concupiscentia suos exauit stimulos, atque etiam virget, dolores inferens, isti sic intemperanti, vsque dum cicatricem peccati impreffert animæ ingignens illi graueolenter ac fœdum odorem, nempe immisionem obsecnarum cogitationum? Qui tam graue iugum depulerunt, & virginem tam terribilem euafuerunt, & in libertatem vindicati sunt, iure optime latentur, & suo liberatori hymnum Ecclesiastici concinunt, in præcordiis suis dicentes: Liberasti nos secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam, de manibus querentium aniam nostram, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt nostà pressura flammæ, quæ circumdedit nos, & in mediis ignis non sumus astutati. Rursum dicut illud Davidis: Dirupisti Domine vincula nostra, tibi sacrificabimus hostiam laudis, & nomen Domini inuocabimas. Qui & hostias laudationis offerunt, cum non libi, sed Domino: hanc libertatem referunt, & nomen Domini inuocant, cum ab eis auxilio, sicut initium libertatis huius, ita & progressum & finem expectant.

Sed aliam perfectorum libertatem aperiamus, quæ non est alia, sed eadem libertas à carne, vel à carni concupiscentia claris & evidentiis explicata. Perfecti enim, non sunt appetituum suorum & desideriorum serui, sed ea potius sanctitati & virtuti seruire faciunt, ac rationis imperio subiiciunt. Non in eorum cordibus inordinati affectus agenda aut omitenda disponunt, sed disponit recta ratio, iubet lex, &

A imperat diuina voluntas, quid agendum, quid optandum, & quid cogitandum sit, aut ex aduerso, quid fugiendum, atque vitandum. Non illos amor immoderatus dementat, non odium infatuat, non desiderium distrahit, non auersio turbat, non delectatio dissoluit, non tristitia inquietat. Non illos spes ad alta fūstollit, nec desperatio ad ima deprimit; non audacia temerarios, nec timor pusillanimes efficit: non ira succedit, nec æstibus indignationis inflamat. Sed hi omnes affectus, sibilo gratia consipiti, & funibus virtutum ligati, perfectionis captivi sunt, in cuius obsequium solum mouentur, & si aliquando proterè resistunt, aut sui iuris esse contendunt, statim velut mancipia vilissima increpationem dominæ, scilicet perfectæ virtutis, & flagellum, ac virginem mortificationis sentiunt. Vnde impletur illud sanè stupendum, quod prædictis Isaías: V. e. qui prædaris, nonne & ipse prædaraberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? Nam appetitus, qui ante conversionem iusti, vires rationalis anima diripiunt, & in famulatum effrenatorum desideriorum trahunt, iam à ratione & virtute diripiunt, & sanctitatis feruire compellunt. Implet etiam Dominus illud, quod promisit populo sibi dilecto: Si audieris vocem meā, & feceris omnia, quæ loqueris, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligenste. Quoniam iutorum affectus, velut hostes virtutis, catenis abnegationis vincit, & executione contrariorum desideriorum vniuersas eorum concupiscentias evertit, cōisque, qui iustos suis immoderatis motibus affligebat, tormento spiritualis crucis, id est, mortificationis, afflitgit. Quod & Paulus manifeste declarat, cum ait: Hoc scientes, qui vetus homo noster simus crucifixus est, vt destruerit corpus peccati, vt ultra non seruamus peccato.] Vetus homo noster, vt inquit Anselmus, est vetusta conuersatio, somes, & consuetudo peccati, & quicquid virtutum ex primo parente sumpsit initium. Hic vetus homo in viris, iustis potentia & virtute Christi crucifixus est, & clavis timoris & anoris Domini crucis Salvatoris affixus, vt pedes ad praua itinera & reliqua membra, (quæ sunt desideria sua) ad pristinos actus mouere non possit.] Venergo perfecti liberi sunt, qui auaritiae motus, paupertatis amore comprimitur, luxuriae astus studio honestatis extinguitur, & dignitatum, ac honorum appetitus, humilitatis desiderio reniciunt. In modo ita dominio perfectionis subdunt, vt iam rerum mendicitarum, carnis mundiciorum, & locum infirmum fucundissima repudent, & in quadam latissima tranquillitate constituti, nequaquam appetitu rerum labentium molestentur. Recepit namque dixit Ambrosius: Quo autem pretio quies huius temporis apius comparatur, quam ut ipsi mundo omnes diuiri, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatium materie refunduntur, & sancto beatoque commercio ematur Christiana libertas: Fiantque filii Dei de paupertate diuites, de patientia fortis, de humilitate sublimes! Qui hoc pretio sanè vili sanctam libertatem emunt, in sacris literis merito vocantur infants. Quemadmodum enim infants, quoniam atas infantilis durat, nullis turbantur affectibus, nullis sollicitudinibus honoris inquietantur, nullis carnis motibus urguntur, sed quadam tranquilla simplicitate matris vbera, aut alia tenera puerorum pabula concupiscunt: ita perfecti malitia, & sinceritate parvuli, sed mentis puritate, & rerum gerendarum prudentia fatis adulti, passionum rebellione, & affectuum impulsibus eximuntur, non quia eos non habeant (homines enim sunt, qui naturam mortalem, & fragilem non deposituerunt) sed quia charitatis abundat.

*Isa. 33.**Exod. 23.**Rom. 6.**Anselm.*
*ibid.**Ambros.*
lib. 10.
epi. epif.
84. ad
Deme-
triadem.

dantia affectus compellerunt, & concupiscentia
 desideria domarunt. Quam libertatem propriam esse
 sanctorum Petrus edocet, dum fideles ad imitandā
 infantilem aratē inuitat: Sicut modō geniti infan-
 tes, inquit, rationabiles, sine dolo lac cōcupiscite.] Et
 Dominus magna affectuatione pronunciavit ad vitam
 aeternam cōsequendam omnino necessariam esse sal-
 tem in aliquo gradu hanc sanctam & spiritualem in-
 fantiam. Ideoq̄ ait: Amen dico vobis, nisi conuersi
 fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabi-
 tis in regnum cœlorum. Hi sunt infantes, quorum
 lingua Dominus, ut ait Sapiens, facit dicas.] De
 quibus vaticinatus est Zacharias, quod in tempore
 gratiae erant Ecclesiam impleturi. Et plateæ ciuitatis
 ait, complebuntur infantibus & pueris ludentibus in
 plateis eius.] Et quidē ex Clementis Alexadrini senten-
 tia iure dicuntur infantes, qui solum Deum Patre
 nouerunt, simplices, infantes, qui sunt unicornū cor-
 nuum amatores: Qui scilicet unitatem desideriorum
 amant, multipliciter in cōcupiscentiarum fugient, &
 ideo amatam ab omnibus libertatē inueniunt, & post
 quam inuenient, seipso spiritu libertatis vestiunt.
 At multi viri perfecti eximios honores, & amplissimas
 dignitates obtinuerunt, & copiosissimis facultatibus abundarunt. Verum est hoc, sed nihil amplius
 eorum libertatem exollit. Nam ipsi non ambitione
 commoti, aut cupiditate incitati, honores &
 diuitias quaerunt: sed Dei voluntate ducti, admis-
 serunt, & non vt serui rebus temporalibus adhæserunt,
 aut ipsarum amoris immoderata fere addixerunt,
 sed vt Domini dignitatibus & honoribus, non
 ad fastum, sed ad Dei obsequium, & opibus non ad
 luxum, sed ad necessitatem, & ad subleuandam indi-
 gentium inopiam vñ sunt. David ex pastoria humilitate ad regiam dignitatem evectus, vt hanc lib-
 erratatem indicaret, ait: Hac faciat mihi Deus, &
 haec addat, si exaltatum est cor meum, & elati sunt
 oculi mei: Si ambulauit in magnis, & in mirabilibus
 super me.] Patriarchæ etiam antiqui sat prædiuites,
 & rerum temporalium abundantes, fatebantur, quia
 peregrini, & hospites erant super terram, & vt hospi-
 tes res huius mundi sine adhæsione, quasi vñstilia di-
 uersorij, tractabant. Quibus sancti noui testameti, in-
 harentes, opes & dignitates ad vñsum habuerunt, non
 vero carum causa superbierunt, aut se se de possessione
 rerum perituarum iactarunt. Quare de magno Basilio
 memoria proditionis est, quod cum solemnis Epiphanius
 die a Beato Ephrem vñs esset fulgentibus vestibus
 (prout Pontificem decebat) & magna pompa, ac copioso sacerdotum cœtu comitatus, ab
 humili eremita despctus est, quasi ille esset colum-
 na sibi in reuelatione monstrata, non ignita charitate
 succens, sed insigni superbis & ambitione in altum
 erecta. At ad sanctissimi & modestissimi Episcopi colloquium, & cōuiuum admissus, luce clariss agnouit
 eum, multo magis intus humilitate, quam extra
 Episcopali pompa fulgere, & puram illam animam
 minus altissima dignitate, quam ipsum eremitam re-
 bus vilissimis oblectari. Hanc admirandam libertatem,
 quā Basilius habebat, omnes perfecti, licet non
 in eodem gradu, assequuntur, & quia ipsi non sola
 natura sicut ceteri, sed magnanimitate quoq; omni
 honore & omni dignitate, & omni rerum temporalium
 abundantia maiores sunt his, quæ multo se mi-
 nora cognoscunt, nequaquam se velut mancipia sub-
 dunt, sed illis ad vñsum natura, vel ad Dei obsequium
 & proximorum utilitatem admisis, de cetero ipsa vt
 labentia, & patui mometi despiciunt. Aristippus Cy-
 reniacorum magister apud Laetantium, cum Laide-
 nobili scorso habens consuetudinem, sic suum insi-

gne flagitium defendebat, vt diceret multū inter se, &
 alios Laidis amatores distare, quod ipse haberet Lai-
 dem, alij vero haberentur à Laide. Qua procaci, &
 inuercunda sententia insinuare forsan volebat alios
 meretricis esse seruos, se vero esse dominum, qui si-
 ne immoderata affectu concupiscentia abuteretur
 scorto. Sed infelix homo, & nomine philosophi in-
 dignus recte mentitus est in caput suum, qui ius na-
 turae violans, & rationis lumen, quod ad se attinebat,
 extinguis, & leges diuinæ proteres, in hoc magis
 erat seruos libidinis, quod suam miseram seruitorem
 ignorabat, & dum impurissimæ voluptati seruebat,
 se liberum esse iactabat. Quod igitur ipse medax di-
 cebat, id ipsum de se perfecti veraces possunt pronuciare. Hoc nimur inter se, & iniquos homines in-
 teresse, quod ipsi habeant res temporales, & tamquam
 Domini illis liberè vtatur, alij vero vt utilia mancipia
 dignitatu, & honorum, & diuitiarum habeantur ab eis.

Hæc anima perfecta libertas, qua affectibus suis
 imperat, & nihil mundanum amat, nihil etiam vita
 transigenda necessarium immoderata concupiscit,
 tanta dignitas est, vt Deus ipse omnipotens eam

Ezech.
34.

tamquam effectum sua omnipotencia sibi arroget, vt
 nullus nisi eius beneficio talenti libertatem assequen-
 dam existimet: Scient, ait, quia ego Dominus, cùm
 conuerto catenas iugis eorum, & eruero eos de ma-
 nu imperantib⁹ sibi, & non erunt ultra in rapinam in
 genib⁹, neq; bestiæ terra deuorab⁹ eos, sed habi-
 tabunt confidentes absque vlo terrore.] Tunc enim
 perfecta anima diuinam in se potentiam experitur,
 cùm iugū peccati, cui libens colla subdebat, à se sub-
 blatum non sine probabili ratione coniecat. Cùm à
 potestate hostium prædictorum, scilicet mundi, dia-
 boli, & carnis, sc̄liberatam aspicit. Cùm à dentibus
 bestiarum terra, id est, à mortibus affectuum cordis
 sui se erexit vider. Tunc, inquam, diuina potentia,
 & misericordia hoc esse opus agnoscit, & à Domino
 quam ipse ex hac mitibili imitatione gloriam polcit,
 non aufert, in modo libenter, & grata tribuit, dicens: Quo-
 niā tu percussisti omnes aduersantes mihi sine cau-
 dentes peccatorum contriuisti: Domini est salus: &
 super populu tuum benedictio tua.] Et iterū ipse Do-
 minus alio in loco ait: Quis dimisit Onagrum liberū,
 (subintellige nisi ego,) & vincula eius quis solvit?]
 Onager, vt Gregorius autumat, cū significat, qui cor-
 de saltem remotus à turbis & à negotiis sacerularibus,
 soli Deo, & sibi vacat, & si aliquam externam occu-
 pationem sustinet, eam non in aliquid temporale
 emolumentum, sed in Dei honorem & obedientiam
 refundit. Quis ergo potuit hominem curis terrenis
 affectum, & desiderii rerum carnalium obductū ad
 similitudinem Onagi huiusmodi curis & desideriis
 eximere, nisi ille, qui absolutam potestatē in cor no-
 strum habens, valet rerum huius mundi exilitatem
 ostendere, & rerum cœlestium dignitatem aperire, &
 absque vla vi, in modo cum summa voluptate humanam
 voluntatem ab illis auellere, & in istis occupare? Hic
 dum cœlestia perquirit, & à curis terrenis liberatur,
 aperte dicitur liber, inquit Gregorius. Quia magna
 est seruitus sacerularium negotiorum, quibus mens ve-
 hementer attenit, quāvis in eis sponte desudet. Cu-
 ius seruitus conditione carere, est in mundo iam ni-
 hil concupiscere. Quasi enim quodam iugo seruitis
 premunt prospera, dum appetuntur; premunt ad-
 uersa, dum formidantur. At si quis semel à domina-
 tione desideriorum temporalium colla mētis excusset,
 quadam iā etiam in hac vita libertate perficitur,
 dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo aduer-
 sitatis terrore coarctatur. Hoc graue seruitus iugum
 Dominus vidit sacerulari cœrūcibus impressum, cum

Psal. 3.

Iob. 39.

Greg. 30.

mor. c. 12.

In vita
Basilij.

Laetant.
 lib. 3. diss.
 n. 1. c. 15.

diceret:

Mose. 11.

diceret: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; tollite iugum meum super vos, & difcite à me, quia mitis sum, & humilis corde: Iugum enim meum suave est, & onus meum leue.] At perum quippe iugum, & duræ (sicut diximus) servitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transuentia, sed cum transuentibus nolle transire. Dum enim contra votum èuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desideriis adeptioe afflixerant, post, ex pauro amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis, ab appetitu rerum temporalium securitate mentis exoneratur.] Non sunt igitur diuites liberi, qui diuitiarum pondera prægraui, non solùm auro & argento seruunt, sed iis, à quibus opes accipiunt, aut à quibus ad eorum conseruationem & augmentum iuantur, miserrimè subiiciunt. Non sunt potentes liberi, qui dum dignitate potiuntur, litigantium clamoribus obruuntur, querelis quasi vinculis cruciantur; & eorum, quibus præsumt, curis & negotiis tamquam seruabieissimi proteruntur. Non sunt liberi ipsi reges, & principes facili, qui onere regnum oppressi gemunt; & si non gemunt, stultorum & amentium more, inter vincula & compedes se solutos esse coniiciunt; sed liber est, qui sola Dei possessione cōtentus, nihil terrenum cogitat, nihil caducum amat, nihil quod præterit, concupiscit. Huic, ait Dominus, dedi in solidudine domum, qui in quadam rerum penuria constitutus, umbra mea specialis cura protegitur, & tabernacula in terra falsuginis, qui in statu rerum terrenarum sterili, & vacuo, tranquillitate, & donorum celestium abundantia recreatur. Hic contemnit multitudinem ciuitatis, dum à consortio stultorum liberatus, cum Deo, & Angelis nititur inire commercia; & clamorem exactoris non audiat, dum nihil temporale eum urget, vt animæ sua profectum acceleret, & ab eo quod spirituali profectui utile est, curis rei familiares stimulat, intemperiu[m] discedat. Hic denique circumspicit montes pascuæ suæ, & vitam illam celestem, quam imitatur, attente perlustrat, ac virentia queque requirit; nam virtutum opera, quæ nū quam deficent, & numquam à sua pulchritudine cadent, in publā hominiis interioris affluit. O onager felix! ô aene spiritualis sapientibus huius mundi sapientior, quia quod stultum est Deo, sapientius est hominibus. O homo perfecte, verè inter mortuos liber! quia si illi mortui sunt, qui sestantur mortifera, & nullo cōpunctionis sensu, nullo vita sempiterna desiderio ruguntur, tu inter mortuos viuis, & liber viuis, qui nec morti eorum subiiceris, cūm impiorum criminibus non consentis, nec stupori & ignoratiæ corundæ succumbis, cūm nullo rerum labentia desiderio torqueris. O inquā, homo sapiens sub typo sylvestris alini figurate, qui liberratem, quā omnes querunt, & numquam inueniunt, fructuose quæsiuisti, & sapienter inuenisti, nequaquam per amorē temporalium à tua libertate decidas, sed cor mundum imperturbatumq[ue] cōserua; & ab omni, quod Deus non est, affectuum tuū diligenter amouero, ne à felici libertate, quā perfecta charitas ingerit, in misera seruitute cadas, & rebus, quas reliqueras, fascinatus, aduersarii tentationi succubas.

Iam ad effectus huius sancte libertatis stylū transferamus. Illi autē sunt duo, quos suprà terigimus. Primus est, quod vitæ perfecti, absq[ue] vlo hominū respectu, quod bonū est faciunt, & nec minis, nec terroribus, nec promissis ab eo quod facere oportet, dimoueri se sinunt. Non curant, si mali eos rideat, si de suis operibus detrahāt, si eos abominentur, & persequantur, dummodo ipsi Dei iusta præstent, & consilia su-

A scipient. Quod in Ieremia satis perspicuè videmus expressum. Ipse enim nūc minitationibus impiorum impugnatus, nunc in carcere coniectus, nunc ad mortem postulatus, nequaquam à munere prophetandi desistebat, sed quod Dominus ei suggerebat, sine villa trepidatione predicabat: Adeò vt audiat, Ego dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & omni populo terra, & bellabant aduersum te, & non prævalebunt. Talis est perfectus vir, non sicut harundo, quoquaque vero-huc illucque agitata, sed sicut columna ferrea, qua nullis impulsibus à suo loco dimovetur. Et quemadmodum flumen, si ab astantibus laudetur, festinat ad mare, & si vituperetur, à suo eurso non cessat, & si aggere lapidum impediatur, impetu suarū aquarū agglomerat, vt impedimentum vincat, & in suum finem, nimurum in mare decurrat: Sic anima perfecta inter laudes & vituperationes hominum posita, nec propter illas propositum recte operandi deponit, nec propter illas à copto desistit, nec propter quæ obstatia, viaria sanctitatis prætermittit. Ego, inquit, hac anima, quasi fluuius Dorix & sicut aquædæctus exiui de paradiſo; Dux, rigabo horrum meū platanorum, & inebrabo partus mei fructum, & ecce factus est mihi trames abundans & fluuius meus appropinquauit ad mare. Est namq[ue] iustar fluuij ex alto maximo fluvio deducti, quia emanatio est, quædæ perfectionis Dei, & diuinæ puritatis imitatione. Egreditur etiæ spirituali paradiso, scilicet ē Christo Iesu, à quo quicquid in sanctis est perfectionis emanat. Statuit itaq[ue] fæmeripam bona sua opera promouere, & fructum in aliis cœptum ad finera vlg; perducere. Cui ad hoc præstandū malorum obstatua non magis impedimento sunt, quam si inundanti flumini fragilium arbicularum lepem opponeres, aut flukibus fremētis maris aliud ad eos frangendos, quam Dei imperium obiciere. Hanc operādi libertatem præferebat Apostoli, quibus cùm comminarentur principes sacerdotū, ne Christi virtutem denunciaret, responderū: Si iustum est in cōspectu Dei vos portius audire, quæ Deum, iudicaret. nō enim possumus, quæ vidimus & audiuiimus, nō loqui.] Beatae animæ, inquit Bernardus hunc locum enarrans, & abundanti maiestate spiritus influentes, quibus utilitas, sublimitas, contumela, gloria, patientia, victoria mirabilis mirabilitate videtur.] Placere beatæ, quæ ac si iam essent huius seculi miseria exēptæ, nec minas timent, nec vultus potentum verentur, & vt Deo obedient, iussi hominū contraire non meruant. Hanc eandem præferebat propheta Deo in rebus quoq[ue] inficiis libentissime obsequentes, & sententias atq[ue] irrisiones hominū nihili reputantes. Iaia, vit nobilissimus, & ex regia stirpe progenitus, nudus in curia regis, & coram omnibus aulicis, ac discalceatus inedit. Ieremias per vicos & plateas ciuitatis velut seruus fugitiuus vinclis, & catenis cōstrictus progrederit. Ezechiel radit capillos, & barbā, & quasi vns de infanis hominibus pilos suos gladio perfequit, & in vētum spargit, & igni cōburit. Oseas propheta sanctissimus ad mandatū Domini meretricis oſolortum sustinet, & mulieris prostituta congressum non erubescit. Obediū igitur sancti Deo, & dū ei placere desiderant, vanas hominū opiniones sperrunt, & ipsorum auras fannas, aut persecutions pro nihil ducunt. Scitur ipsi, quia regnū Christi non est de hoc mundo, id est, non in rebus caducis, & contemptibilibus, sed in rebus eternis, & pretiosissimis est constitutum. Quare rebus vilibus & caducis postpositis, & vanis opinionibus vulgi reiectis, id aggrediuntur, quod rationi consonum, quod perfecte

Ierem. 1.

Ecel. 24.

Acto. 4.

Bern. ser.

Isa. 20.

Iere. 27.

Ezech. 5.

Oseas 1.

2. Reg. 12.

3. Reg. 12.

Marc. 6.

Iona. 3.

virtuti congruum, & quod Deo placitum iudicant. Alter huus libertatis effectus est, sermo, cum opus est, audax, & sine vlo fuco veritatem pronuncians. Sancti enim nihil huius mundi amant, nihil perdere timent: quare nec illos a dicēda veritate desiderium opum, aut dignitatum a vocat, nec timor magnatum abducit. Audio Nathan prophetam potentissimum regi Davidi ob adulterij peccatum insultantem, & cūm eum sub quādam parabola ad proferēdam in seipsum sententiam mortis adegit, liberè dicentem: Tu es ille vir, scilicet dignus morte, qui ouibus tuis pepercisti, & ouem vicini pauperis non sine ipsius crudeli morte suffrasti. [Audio Eliam pauperculum, & feminudum, regem Achab his verbis increpantem: Non ego turbau Iſraēl, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & fecisti estis Baalim.] Audio Ioannē Baptistam, qui mulierem itatam, & cana immaturityem non timebat, & Herodi carnis illecebri irretito publicē dicebat: Non licet tibi habere vxoren fratris tui. [Audio Ionam, non iam soli regi, sed toti reipublice mimitantem, ac in plāteis Niuei proclaimantem: Adhuc quadraginta dies, & Niuei subuerteretur.] Audio alios viros perfectos tam veteris quam noui testamenti non sine vita discrimine similes increpationes in dynastas, in principes, in reges, & in integra regna buccinantes. Audio, & non demiror, quia video illos contemptione facili, & despectione temporalis vita omni spererū temporalium liberos, omni vano timore vacuos, Dei autem voluntati prorsus addictos, quam vt explant, & eius verba pronuncient, principum facili, qui sunt quasi pupilli culices, indignationem non horrent. Sanctitas profectō eos, quamvis statu facili, & conditione minimos, tamen animi magnitudine principibus huius mundi maiores efficit, quæ magnitudo ab illis, vt liberē p̄dicit, omnem timorem pellit. Nam si tu seruum patris tui absque vlo metu incras, & absque vllis ambagibus reprehendis, & illum nunc futem, nunc ebrium, nunc canē appellas, quia ille seruus est, & tu filius; quare sancti, qui sunt filii Dei, mācipia diaboli non sine vlo circuitu reprehendant; & quod illi conducibile est, ad ingum iniquitatis excutendum, sine timore non dicant. Sed ista sanctorum libertas, tum in operando, tum in loquendo non est indiscreta, nec temeraria, sed discreta, & sapientia plena. Quæ si necessarium sit, nouit opera non debita, & sub conflito posita abscondere. Scit etiam reverenter, & submisē iniqui, verum patet facere, vt quos acerbitas increpationis obduraret, lenitas verborum compungat, ad emendationem suauiter ducat. At si hominum aut durities, aut inuerecundia, aut publica peccandi licentia seuerias medicamentum exigat, tunc nullo imminentे periculo retrahitur, quominus veritatem palam annunciet. In quo multū esse celestis prudentia, & nihil audacia temeraria, effectus istarum increpationum aperient, quæ inuerecudos reprimunt, peccatores conuertit, aut saltē Dei seueritatem in eos, qui obturant aures suas, aliquando exercitandū iustificant. Eācum enim est, vt de suis dilectis increpit, qui non emendantur, seuerissimē castigentur. Si ergo tanti valoris est libertas, vt nec benē pro toto vendatur auro, quanta nobis esse deberet, perfectionis adipiscendā cura, quæ animas nostras nexibus peccatorum, & affectuum liberat, & in hanc libertatem filiorum Dei propriam extollit. Hanc totis virtibus cupiamus, & assēqui eniatur, vt verē liberi simus, & à iugo importabili peccatorum, à compedibus vitiorum, à vinculis affectuum, & ab ergastulo vani timoris liberemur.

A De sanctissimis cogitationibus, & desiderijs animæ perfectæ.

C A P V T X X I I I .



Elices planè sunt viri perfecti, quia quod aliis nocere solet, sibi proficit: & ex quo alij accipiunt suæ salutis dispendium, perfecti eliciunt perfectionis augmentum. Pax enim, securitas,

& libertas, quanta male peccatoribus afferant, manifestè propheta commemorat dicens: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ fororis tua, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius. Quod ita potest intelligi, vt ista fuerit occasio iniquitatis populi Iſraelis, elatio cordis, rerum temporalium abundantia comitata, & otio, ac securitate fulcita. Illa quoque parabola Domini Saluatoris id ipsum declarat, qua adolescens patri inobediens, & in libertate constitutus nobis proponitur; qui facultatibus paternis abutens, peregrē profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et sanè nec in tantam misericordiam, & calamitatem deuenisset, vt ingenuus homo paſceret porcos, & filiis ventrem implere cuperet, si libertatem non amasset, & patris benignam correctionem sensisset. Ac populus Dei amabilis pace & securitate poritus, non semel, sed s̄pē in Dei oblationem, & ex ea in fidelissima peccata lapsus est, adeò vt summus ille Pater, cuius opus misericordia est, æquum existimauerit, filium sibi dilectum, & honorabilem, intertinis bellis affligere, & pace ac libertate priuatim manū regum alienorū subiicere. Hos filios, & quidem miserabiles, solent in viris inquis pax, securitas, & libertas parturire; sed in hominibus imperfectis consueverunt partus nihilo meliores emittere. Quod & quotidiani casus imperfectorum obedientia iugum abicentium manifestè demonstrant, & antiqua Ecclesiæ tempora, in quibus persecutions tyrannorum, fidelium strages cessabant, non obscurè confirmant. Simul enim cum pace, & tranquillitate Ecclesiæ legnities intravit, & hostibus corporum fugiantibus, immatiore hostes, nempe vitia, sanctitatem populantia, successerunt. Ideoque Dominus suauissimæ prouidentia sua decreto sanciuit, vt iterū Ecclesiæ persecutio subintraret, & mors in populus fideles levaret, quæ non rā homines, quæ vitia exorta, & delicta populorum succidet. Prodeat nūc Eusebius Cesariensis Episcopus, & an hæc fuerit sequentium tribulationū cauta grauissimis verbis edicat. Verū cūm nos præ nimia quādam licentia, inquit, in molitium delicatam, & disfloratam legnities effemus prolapsi: cūmq; alij alii inuidè, maledictis infestari, & prope nos ipsi inter nos perulantibus linguis, tamquam mutuis armis oppugnare, & casuali quando verborum cōtumelias velut hastas, vnu in alium intorquere, & p̄fides Ecclesiariū alter alterius vires infingere, & populus in populū seditionem concitare occiperi, &c. Tunc deum iuxta illam Ieremij sententiam, obscurauit in ira sua Dominus filiam Sion, & deiecit de celo gloriam Iſrael, non recordatus est scabelli pedum eius in die iræ sua, sed demerit Dominus omnem decorum Iſrael, & demolitus est omnes sepes eius.] Hactenus multis omisſis Eusebius. Mala igitur solēt mali, & aduersa solent imperfecti, ex pace, & libertate decerpere. Quare non immerit ille senator, cūm de compōnēda pace cum Carthaginensibus apud patres conscriptos reipublicæ Romanae tractaretur, pacem eloquissima oratione taxauit, & bellū paci anteponēdū

Ezech. 16.

Luc. 15.

Euseb. lib.
8. hisp. c.
2.

esse